



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae a Villanova, Cognomento Eleemosynarij

Romae, 1658

Fr. Henricus Burgen[sis] Episcopus Aliphanus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9857

omnia hæc in Beato Antifite nostro Valentino non oscitanter, nec perfunctoriè, sed perfectissimè in vita, & post mortem prefulserint, vt per probationes, atque irrefragabiles testes deponentes de excellenti Beati Thomæ fide, insigni spe, charitate feruenti, admirabili humilitate, castitate, prudentia, fortitudine, & temperantia, necnon de pluribus miraculis, tam ipso viuente, quàm mortuo editis, quæ omnia Sacra Rota, & Sacra Rituum Congregatio pluries firmavit. Meritò Beatum Thomam omnium virtutum laude cumulatissimum humillimè, & reuerenter, inter Sanctorum Confessorum Pontificum agmen, præiudicio Canonizationis decreto, referri posse, iudico, & subscribo; gratias perennes, & immortales Deo, & S. V. agendo, quòd exemplum Regularibus, Sacerdotibus, & nostro Episcoporum Choro, sicuti omnibus etiam Christi fidelibus proposuerit.

Fr. Henricus Burgen Episcopus Ali-
phanus.

Beatissime Pater. Verè, vt nomen sonat, abissus fuit, ac didimus, idest gemellus Beatus Thomas de Villanoua; gemellus miserationis, quæ cum ipso de vtero matris egressa, ab infantia creuit; abissus abissum inuocans; Thomæ enim Apostoli sollicitudinem in inquirendis, Angelici puritatem in edocendis, Cantuariensis constantiam in defendendis his, quæ ad Deum, eiusquè Ecclesiam pertinent æmulatus; meritò, visionem, quam Thomas expectabat Apostolus, & mercedem quam Thomas expectabat Angelicus, creditur consecutus, & dignus, qui, vt olim Cantuariensis ab Alexandro III. multis clarus miraculis, à septimo eiusdem nominis, & Patriæ, vices Dei gerente in terris, proclametur factus in Cælo consors Charitatis, quæ nunquam excidit; Dei scilicet: nam Deus charitas est, & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.